



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 13. Ex eodem libello emendati aliquot loci.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

gnitatis. Ad iustitiam obtinendam, magistratus: ex quibus
 maximè consules, deinde tribuni plebis. Ad consociendum
 centurias, homines excellenti gratia. Illud autem, *Qui*
tribuent centuriam, alterius periodi principium est. quæ
 ne ipsa quidem vitio vacat. Haud ita multò infra, in
 eodem libello ita legitur: *Et omnino, quoniam eo genere*
amicitiarum petiitio tua maximè initiata est, quod causa-
rum defensionibus adeptus es, &c. Ego pro initiata, liben-
 ter legerim, innixa, Paulo post: *Et quemadmodum me-*
mini, quòd nulla in re illis vnquam molestus fuisti, sic cura,
ut intelligant, omnia te, quæ ab illis tibi deberi putaris, ad
hoc tempus reseruasse. Sed quis est, qui cum illas ser-
 monis sordes videt, *Memini, quòd nulla in re fuisti mo-*
lestus illis, non clamet, δὲ τι μοι λειπέτω? Vox illis, abest
 à quibusdam olim impressis libris. vnde mihi verifi-
 mile sit, ita legi debere: *Et quemadmodum nemini vlla in*
re vnquam molestus fuisti, &c.

Ex eodem libello emendati aliquot loci.

CAPVT XIII.

PRÆSERTIM cum id tibi casus afferat, uti tecum
 petant, quorum amicitia aut contemnenda, aut fugien-
 da sit. ex eodem illo commentariolo sunt hæc: in qui-
 bus libentius ligerim, *Ut ij tecum petant.* at hoc non
 magni momenti est. Illud paulo grauius: quòd, *rem*
honestam, scripserunt, vbi sine dubio scribere oportue-
 rat, *honestatem*. Quis enim nõ offendatur, hæc legens?
 Hæc tu planè ab iis postulato, ut, *quoniam nulla impensa per*
te alij rem honestam, alij salutem ac fortunas omnes obti-
nerunt, &c. Honestatem autem dicit dignitatem &
 existimationem. Assentior etiam homini eruditissi-
 mo Dionysio Lambino, qui ignoratione antiqui
 verbi

Mureti
 via Lectione
 LIII
 25

verbi locum hunc ex eodem libro deprauatum indicat. Nam cum id petitur, quod honestè, aut sine detrimento nostro promittere non possumus: quomodo si quis roget, ut contra amicam aliquam causam recipiamus; bellè respondendum est: ut ostendas necessitudinem: demonstras, quam molestè feras: aliis te id rebus exacturum esse persuadeas, neque enim censet ille, ibi legi debere, exacturum: sed exacturum. idemque ita legit versus illos ex Heautontimoroumeno:

Ancillas, seruos: nisi eos, qui, opere rustico

Faciundo, facile victum exsarcirent suum.

vnum etiam locum Q. Ciceronis corrigam: qui in optimis omnium Manutianis libris asterisco notatus est: deinde aliò me conuertam. Ita ergo ibi legitur. *Præsertim cum multo magis irascantur iis qui negent, quam iis, quem videant. ea causa impeditum, ut facere quod promissit cupiat, si vllò modo possit.* Legendum autem videtur, *Quàm ei, quem videant, &c.* Errorem obiecit obliueta iam scribendi ratio. *Eij* enim scribebant, pro *ei*. & de eodem Genere cetera ad eundem modum.

Quod apud Ciceronem in Epistolis ad Atticum legitur, ἐν ἀντιρροῖς, vnde sumptum sit.

CAPVT XIII.

NOTVM est, Ciceronem in veteribus vtriusque linguæ poetis lectitandis multum fuisse: crebroque eorum modò integros, modò dimidiatos versus, modò etiam leuiter immutatos scriptis suis immiscuisse: quin & non nunquam vnâ aut alterâ vocem ab iis sumptam surpassasse, quæ tamen facile ab hominibus in eodem studio tritis agnosceretur. Tale est, quod in Epistola quadam ad Atticum posuit, ἐν ἀντιρροῖς.